



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

51 Benedictio duplex, altera constitutiva sacri, altera invocativa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

- illi verò, & c. *quanta, de sentent. excommun.* & Navar. c. 17. n. 51. Et tam viri, quam feminæ, & tam senes quàm juvenes, & denique omnes habentes iudicium ad peccatum mortale committendum aliquem actum prædictorum committentes, dictam censuram incurrunt, gloss. in dicto c. *si quis suadente, in verb. si quis, 17. quest. 4.* At deficiente iudicio, ad peccatum mortale committendum, non incurritur, quia nisi ob peccatum mortale non incurritur in excommunicationem cap. *nemo, 11. quest. 3.* & Navar. eodem cap. 27. num. 9. & num. 76.
- 46 Appellatione autem † clericorum veniunt, omnes ordinem ecclesiasticum habentes, etiam clerici primæ tonsuræ, cap. *cleros, 21. distinct. c. cum contingat. de etat. & qualitat.* sicut appellatione monachi † veniunt omnes professi, & professe in religione approbata, etiam novitij, & novitiæ, ac conversi, & conversæ religionis approbatae, qui omnes privilegio canonis gaudent, c. *Monachi, c. parochianos, cap. de monialibus, & cap. cum illorum. extra de sentent. excommun. & cap. religiosa, §. fin. & ibi gloss. in ver. non possit, eodem tit. in 6.* Navar. in cap. 17. num. 79. & Greg. Sayr. *Thes. cas. consien. par. 1. lib. 3. cap. 26. num. 1. 2. 3. 4. & 5.*
- 48 De iure autem civili † Sacerdotibus, & ministris ecclesiæ injuriam inferentes capitaliter puniri debent, *l. si quis in hoc genus, & ibi Bald. & Salic. C. de Episc. & cler.* Qui verò dictam excommunicationis sententiam, ob violentam manuum injectionem in clericos incurrant: qui dicta de causa excommunicati ab alio, quam à Romano Pontifice absolvi possint, & in quibus non contrahatur dicta excommunicatione optime scripsit Card. Tolet. in *Instruct. sacerdot. lib. 1. c. 31. & seq. & Consl. in tractatu de fact. scil. & igno. Centu. 2. distinct. 13.*
- 49 Secundò, † committitur sacrilegium per coitum cum moniali sacra, c. *impudicus, 27. quest. 1.* Et est peccatum gravissimum, ut supra dixi, pro quo clericus cuiuscunque sit gradus, & dignitatis, est deponendus, & ab omnibus ordinibus sacris, officiis, & beneficiis priandus, ac in arctum monasterium ad perpetuam pœnitentiam peragendam est tradendus, & laicus excommunicandus, ut c. *si quis Episcopus, & c. si qua monachatum, 27. quest. 1.* & de iure civili pœna mortis plectendus, ut *distal. si quis in hoc genus, l. si quis, non dicam, C. de Episc. & cler.* Quæ generaliter loquitur de quacunque injuria illata ecclesiæ, monasterio, vel personis ecclesiasticis, & cum in hoc peccato tria concurrant videlicet, sacrilegium, adulterium, & incestus, pro dictis criminibus pœna capitalis incurritur, ut *l. si adulterium cum incestu, ff. de adult. l. quamvis §. fin. C. eodem tit. Gril. in suo tractat. lib. 3. de pœnit. omis. coit. quest. 1. numer. 23. in fin. & numer. 24.*
- 50 Tertiò, † committitur sacrilegium circa locum sacrum, quando locus publicus sacer, ut est ecclesiæ, violatur, etiam inter laicos, præsertim cum sanguinis effusione, Farinac. in *prax crim. quest. 20. num. 22.* Vel illius cœmeterium, in destruendo, deystando, vel occupando, aut ejus iramunitates infringendo, ut cap. *frater, 17. quest. 4.*
- Et hoc casu præsupponendum est, quòd una est benedictio † constitutiva sacri, qualis est benedictio, & consecratio eccle-

ecclesiæ; altaris, calicis, & corporalis, & alia est benedictio invocativa, qua res non fit sacra, qualis est benedictio mensæ, navis, ignis, domus, & similibus, quæ non benedicuntur, ut sint sacra, ac proinde nullius, sed ut per invocationem Dei obtineatur assistentia ejus specialis, ut declarat Cajet in 2. 2. quest. 88. art. 11. & Navar. in comment. de spoliis cler. §. 18. nu. 9. in princ. & vers. secundò insertur, to. 1.

52 Sacriligium † circa hanc benedictionem constitutivam versatur, quoniam semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum, c. semel. & ibi glos. in verb. humanos, de reg. jur. in 6. c. comperimus, & ibi glo. 14. qu. 6. & Navar. eo. nu. 4. vers. secundò insertur.

53 Et nullus Prælati † potest sine causa ecclesiam, altare, calicem, vel aliam rem benedictione constitutiva sacro dicatam, sive sacratam, in sua forma, & esse artificiali permanentem profanare, & usibus profanis applicare, per. dist. c. comperimus. Tum, quia id videtur esse jure divino, vel naturali prohibitum, ut sentit S. Thom. in 2. 2. qu. 88. artic. 10. ad primum, per c. fin. Levit. Tum, quia id affirmat Cajet. ubi supra artic. 11. & S. Thom. ibidem, & in d. artic. 10. ad primum, quos sequitur Navar. d. vers. secundò insertur.

54 Pœna † autem infringentis ecclesiam est, ut damnum novies cõponat, & immunitatem tripliciter, & velut sacrilegus canonice sententiæ subjugetur, c. quisquis in su. & ibi gloss. in ver. novies, & verb. tripliciter, 17. qu. 4.

55 Quartò, † committitur sacrilegium circa res: & hoc casu tribus modis de jure canonico committitur sacrilegium, sacrum de sacro, vel sacrum de non

sacro, aut non sacrum de sacro auferendo, ut in dicto cap. quisquis vers. similiter sacrilegium, & his casibus, qui variè contingere possunt, ita diversa erit delinquentium punitio, ut tradit Diaz. in pract. crim. 89. alias 81. circa fin. alijsque pluribus casibus ecclesiastici pœnam depositionis incurrunt, ut per Abb. in c. at si clerici, nu. 35. de jud. & Diaz. in pract. crim. cap. 74. alias 81. cum pluribus sequent.

Deponendus † etiam venit ministrans solemniter in ordine, quem non habet, & ulterius non est ordinandus, cap. 1. & 2. de cleric. non ordin. ministran. Et omnes qui absque dispensatione canonica, aut sine legitima licentia, sive extra tempora à jure statuta, sive ante ætatem legitimam, vel absque dimissorijs litteris ordinantur à suorum ordinum executione sunt ipso jure suspensi, & si hujusmodi suspensione durante in eisdem ordinibus ministrare audent, eo ipso irregularitatem incurrunt, ac beneficijs ecclesiasticis possunt jure privari, Pius, 11. in Bull. Rom. c. 6.

57 Laicus † verò Missam celebrans, vel in aliquo alio sacro ordine ministrans falsum committit, & uti falsarius est puniendus, Bald. in l. qui sub pretextu, in fin. C. de sacrosanct. Eccles. Abb. in dicto cap. 1. num. 1. de cler. novo ordine ministr. & Felyn. in c. tertio loco, numer. 1. vers. idem in clerico de probat. sive potius puniendus, ut hæreticus, accidit enim Greg. Papæ Pij XIII. tempore:

58 Quòd quidam † filius perditionis, satis peritus in arte scribendi, habitis præ manibus quampluribus familiaribus litteris, per quamplures Cardinales alius personis scriptis, manum alienam ad eò imitatus fuit, ut litteras diversas Prælati, & alijs gravi-